

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	margine
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 31, quaestio 3. (fol. 36vb)

Utrum peccatum originale sit in carne vel mediante carne contrahatur?

Tertio quaeritur, utrum peccatum originale sit in carne² uel mediante carne contrahatur? Et videtur quod non, quia agens semper est praestantius patiente. Sed hoc non potest convenire carni respectu animae, ergo etc.

Item, non est maior corruptio in effectu quam in causa. Sed corruptio animae est maior quam sit corruptio carnis, cum ista sit culpabilis et illa non, ergo caro non inficit animam.

Contra, Augustinus, *De*

verbis Apostoli, vitium concupiscentiae est, quod anima contrahit a carne.

Respondeo, dicendum, quod anima contrahit originale ex unione sui ad carnem cum libidine propagatam, non per aliquam impressionem, quam faciat caro in animam aliquid in ipsa producendo vel in ea corrumpendo, sed quia caro fuit in Adam ut in principio productivo peccante(?) per carnis commistionem, quia ipse accepit virtutem et potestatem propagandi humanam naturam talem in anima et corpore, qualis ipse conditus fuit,

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 31, q. 3, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Add. in marg. *non quod sit ibi ordo temporis per prius et posterius(?), sed ordo naturae(?) ut patet ?? quia ut consideratum in se est in voluntate et consideratum ad suam causam est in carne(?)*.

excepta carnis quantitate, et eis quae dependent a quantitate.

Unde sicut dicit Anselmus, *De conceptu virginali capitulum XXIII et XXIV*, si homo primus stetit et aliquis filiorum peccasset, peccatum originale non transmitteret, quia nullus generat in quantum singulare individuum est, sed in quantum commune est. Quia sicut post peccatum Adae non profuit nobis alicuius iustitia, nec ad nos potuit transmitti, sic si Adam non peccasset, alicuius alterius peccatum nobis non nocuisset vel ad posteros transmissum fuisset. Quia igitur anima unitur corpori propagato per concupiscentiam ad tertium constituendum, qui est filius Adae, talis qualis ipse quando genuit, ideo necesse est filium habere talem naturam qualem habuit qui genuit, secundum quod est pater eius, scilicet poenam, et facilem ad malum, et difficilem ad bonum, et habitualiter conversam ad bonum commutabile. Et quia talis esse non debet, ideo dicitur peccatur ab origine.

Tria³ ergo concurrunt ad peccatum originale, quia peccatum Adae, sicut causa prima, modus propagandi, sicut causa media deductiva, et unio animae cum carne⁴ taliter concepte⁵ cum libidine, sicut causa immediata.

Propter quod Christus non habuit, nec contraxit peccatum originale. Et etiam quia, ut dicit Anselmus, *De conceptu virginali XI capitulum*,⁶ sicut Adam non potuit servare iustitiam originalem, nisi illis quorum generationis potestatem voluntati subditam accepit, sic nec potuit nisi ad illos tales iniustitiam transmittere originalem. Sed Christus in potestate tali Adae non fuit.

Item, iustitia Dei non patitur ut aliquis innoxius puniatur, et quod ipse Deus aliquem creando solum voluntate sua, non mediante naturae, habeat iniustitiam. Et ideo Adam creatus fuit iustus, et etiam si alius adhuc crearetur a Deo et fieret per illum modum, esset iustus, ut dicit Anselmus in eodem liber, *XIII capitulum*. Sed Christus creatus solum⁷ fuit voluntate divina, cuius opera omnia sunt perfecta, ergo etc.

Ad primum argumentum, dicendum, quod caro non facit hoc, sicut ratio probat, quia tunc bene procederet, quod esset praestantius patiente, sed consequenter.⁸

Ad secundum, dicendum, quod illud est verum quando subiectum rationis sive corruptionis est unicum sive unius rationis. Aliter non habet veritatem, quia corruptio potest intendi propter nobilitatem subiecti, sicut corruptio vini ex dolio longe peior est quam corruptio dolii.

³ Add. in marg. *nota*

⁴ Scripsit sed del. *sicut*

⁵ Scripsit sed del. *sicut*

⁶ Anselmus Cantuariensis, *De conceptu virginali et de originali peccato* lib. 2, cap. 12.

⁷ Scripsit sed del. *creatur*

⁸ Vel *communiter/convenienter*